

viginti annos omnem oram maritimam incendiis, rapinis omnique crudelitatis genere afficerent. Erit forsitan qui dubitet an Nithardus Centulensis monasterii abbas fuerit, eo quod in quodam rhythmo, quem Angelramnus abbas Centulensis de abbatibus antecessoribus suis annis centum ante Hariulfum condidit, omissus sit Nithardus. Audi Hariulfum in lib. iv, cap. 17, agentem de Angelramno: « Is ipse

Quæ occurrunt memoriæ
Centulensis cœnobii
Præ omnibus egregius
In hac villa progenitus,
Ocioaldus sequitur.
Guitmarus vir sanctissimus.
Quibus Hericus additur
Herbertus, Symphorianus
Cum Guelfone et Hedenoldo,
Post Ingelardum igitur
Sancti imitator ordinis

A honorabilis vir posteritati consulens, catalogum rhythmicum de Patribus sancti hujus loci, non quidem omnes designans, sed tantummodo illos memorans quorum nomina vel chartæ, vel quælibet pittiola insinuare videbantur, vel etiam Vita sancti Richarii specialiter notificabat. (*Quæ sequuntur in editis desunt.*) Scripsit autem in hunc modum.

— Licet non sint in ordine,
— Abbatum scribo nomina.
— Pastor noster Richarius,
— Primus in albo ponitur.
— Angelbertus magnificus.
— Helisachar et Aldricus.
— Hludogiuicus et regius,
— Ruodulfus, Karlomannus.
— Gerbertus et Fulchericus
— Angelramnus adscribitur
— Et studiosus litteris.

Hæc quidem honorabilis Angelramnus. » Hic catalogus etsi accuratus non sit, dubitandi tamen fundamentum præbet de Nithardi abbatali dignitate. Verum huic dubitationi occurrit Hariulfus in lib. iv, cap. 17, ubi post plura ita concludit: « Hæc igitur abbatum nomina, quæ in domni Angelramni scripto minus, in nostro vero plenius habentur, id est dom-

B nus Nithardus, domnusque Ribbodo, Helgaudus quoque et Coschinus; duo prima in codice a Gorzia delato, tertium autem in membranæ nostri gymnasii reperta sunt. Nam de domno Coschino plura apud Gemeticum cœnobium scripta tenentur, ex quibus comprobatur isdem vir tam nostri, quam illius abbas fuisse loci. »

DE RESTAURATIONE MONASTERII CENTULENSIS.

(Apud Mabill., *ibid.*)

Ego Angilbertus considerans ac diligentissima investigatione et mentis affectu pertractans, qualiter una cum consensu fratrum meorum et omnium fidelium sanctæ Ecclesiæ cæterorumque bonorum hominum, hunc sanctum locum, mihi licet indigno ab omnipotente Deo, et excellentissimo domino meo Carolo serenissimo Augusto^a ad gubernandum commissum, auxiliante Domino in melius reedificare voluissem; ut monachi et cæteri famuli ibidem consistentes, vel etiam successores nostri, qui per diversa temporum spatia successuri erunt, Deo militare pro me et pro prædicto domino meo ejusdem Dei clementiam attentius valeant implorare, quatenus illis facta nostra ad perpetuam consolationem, nobisque, qui pro Dei amore laboravimus, illis orantibus ad mercedem proficiant sempiternam; secundum quod ratio permisit, et possibilitas nostra administravit, non tamen quantum voluimus, sed quantum occurrimus, sicut in sequentibus declaratur, laborare curavimus.

Quia igitur omnis plebs fidelium sanctissimam atque inseparabilem Trinitatem confiteri, venerari et mente colere, firmiterque credere debet, secundum

^a Hinc patet instrumentum istud confectum ab Angilberto fuisse post annum octingentesimum, quo exeunte Carolus Augustus dictus coronatusque est Romæ in Natali Domini.

^b Ex his episcopis, præter Megimhardum, mihi tantum certo noti sunt Pleon Noviomagensis, Theodoinus Taruennensis, Hildiguardus seu Hildoardus Atrebatensis et Camaracensis. Ex aliis nescio an Georgius fuerit Ambianensis, et Benedictus Ande-

hujus fidei rationem in omnipotentis Dei nomine tres ecclesias principales, cum membris ad se pertinentibus, in hoc sancto loco, Domino cooperante, et prædicto domino Augusto juvante, fundare studuimus: quarum major et prima est in honore sancti Salvatoris et sancti Richarii; alia in honore sanctæ genitricis semperque virginis Mariæ et sanctorum apostolorum; tertia vero in claustro fratrum in honore sancti Benedicti abbatis et reliquorum sanctorum regularium abbatum; quæ etiam mirifico ordine dedicatæ sunt a venerabilibus duodecim sanctis episcopis, quorum nomina ob venerationem et memoriam illorum huic opusculo adnectenda esse judicavimus. Hi sunt Megimhardus Rodomensis Ecclesiæ sedis venerabilis archiepiscopus, Georgius^b, Absalon, Gerfridus, Pleon, Hildiguardus, Theodoinus, Ydelmarus [*Leg.* Hidelmarus], Benedictus, et Kellanus præclarissimi episcopi: Joannes vero et Passivus sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ legati, præsules nobilissimi. Nam altare sancti Salvatoris, in quo positæ sunt reliquiæ ejus et sanctorum Innocentium, qui pro eo passi sunt; et altare sancti Richarii, in quo sunt reliquiæ sanctæ genitricis Mariæ et

gavensis Gerfridus is mihi videtur, quem laudat Alcuinus in carmine 50, ubi episcopus in ecclesia quadam beatæ Mariæ sacra fuisse memoratur, forsitan in Laudunensi: cujus sedis episcoporum series ac tempus regiminis, eorum scilicet qui octavo ac nono sæculo vixerunt, corrigi debet ex duabus Hincmari Rhemensis epistolis, quæ in Labbeanæ editionis Conciliorum tomo VIII recens vulgatæ sunt.

eiusdem sancti Richarii; altare sancti Petri, in quo reliquiæ ejus et sancti Pauli sanctique Clementis; altare sancti Joannis Baptistæ, in quo reliquiæ ejus, et Zachariæ patris ipsius; altare sancti Stephani, in quo reliquiæ ejus et Simeonis, qui Dominum in ulnas suscepit; altare sancti Quintini, in quo reliquiæ ejus et sanctorum Crispini et Crispiniani; altare sanctæ Crucis, in quo reliquiæ ligni ipsius; altare sancti Dionysii, in quo reliquiæ ejus, Rustici et Eleutherii; altare sancti Mauricii, in quo reliquiæ ejus, Exsuperii et Candidi; altare sancti Laurentii, in quo reliquiæ ejus, Sebastiani et Valeriani; et altare sancti Martini, in quo reliquiæ ejus, et Remedii, Vedasti, Medardi, Gualarici, Lupi, Servatii, Germani atque Eligii. In ecclesia vero sancti Benedicti altare ipsius, in quo sunt reliquiæ ejus, et Antonii et Columbani; altare sancti Hieronymi, in quo sunt reliquiæ ejus, Ephrem et Æquitii^a; et altare sancti Gregorii, in quo reliquiæ ejus, Eusebii et Isidori; ab eisdem jam dictis electissimis viris condigne ac diligentissimè cum ingenti gaudio sub die Kalendarum Januarii fuerunt Domino consecrata. In ecclesia etenim beatæ Mariæ virginis altare ipsius, in quo reconditæ sunt reliquiæ ejus et sanctæ Felicitatis, Perpetuæ, Agathæ, Agnetis, Lucæ, Cæciliæ, Anastasiæ, Geretrudis, et Petronillæ; altare sancti Pauli, in quo reliquiæ ejus, Barnabæ et Timothei; altare sancti Thomæ, in quo reliquiæ ejus, Ambrosii et Sulpicii; altare sancti Philippi, in quo reliquiæ ejus, Silvestri et Leonis; altare sancti Andree, in quo reliquiæ ejus, Georgii et Alexandri; altare sancti Jacobi, in quo reliquiæ ejus, Xysti et Apollinaris; altare beati Joannis Evangelistæ, in quo reliquiæ ejus, Lini et Cleti; altare sancti Bartholomæi, in quo reliquiæ ejus, Ignatii et Polycarpi; altare sancti Simonis, in quo reliquiæ ejus, Cosmæ et Damiani; altare sancti Matthæi, in quo reliquiæ ejus, Marci et Lucæ; altare sancti Thaddæi, in quo reliquiæ ejus, Nazarii et Vitalis; altare sancti Jacobi fratris Domini, in quo reliquiæ ejus, Gervasii et Protasii; altare sancti Matthiæ, in quo reliquiæ ejus, Hilarii et Augustini; sexto Idus Septembris in ejus sacratissima Nativitate a venerabilibus episcopis, Georgio videlicet, Absalone, Pleone, et Gerfrido honore dignissimo sunt dedicata. Sed et altare beati archangeli Gabrielis, quod est situm in porta meridiana, octavo Kalendas Aprilis in Annuntiatione sanctæ Mariæ; Michaelis vero quod est in porta occidentali, octavo Kalendas Octobris ab Hildegualdo venerabili episcopo; Raphaelis autem, quod est in porta septentrionali, secundo Nonas Septembris in honore ipsorum archangelorum, omnium Virtutum cælorum, a Jesse^b religioso episcopo optime sunt consecrata.

Reliqua vero mœnia ipsius monasterii eodem Do-

^a Joannes de Capella habet, ossa sancti Hieronymi et de sancto Vulfrano.

^b Is erat Ambianensis episcopus, qui Caroli Magni coronationi Romæ factæ interfuit in Natali Domini anno 800, ac proinde incertum an Georgius,

mino cooperante quæ factenus conspiciuntur constructa, sicuti cernuntur, omnia a fundamentis studimus reædificare, et ut habitatores illius in commissarum solemniam frequentare, et omnipotenti Domino delectentur deservire, ipso adjuvante, muro curavimus firmiter ambire.

Dum enim præscriptas ecclesias prudenti consilio in honore Domini nostri Jesu Christi, suæque gloriose genitricis, et omnium sanctorum ejus, sicut supra scriptum est, fundatas perspiceremus, magno desiderio nimioque amoris ardore sumus accensi, ut secundum possibilitatem nostram, eodem Domino miserante, partem reliquiarum illorum sanctorum ad ornandas easdem sanctas Dei ecclesias adipisci mereremur. Quapropter totis viribus totaque mentis intentione laborare contendimus, qualiter per auxilium omnipotentis Dei et adjutorium gloriosi domini mei magni imperatoris de diversis partibus totius Christianitatis, quantas et quales vel unde allatas recondere in hoc sancto loco valuissemus, prout in consequentibus patet: id est in primis de sancta Romana Ecclesia, largiente bonæ memoriæ Adriano summo pontifice, et post eum venerabili Leone papa Romano; de Constantinopoli, vel Hierosolymis per legatos illuc a domino meo directos, ad nos usque delatas; deinde de Italia, Germania, Burgundia atque Gallia a sanctissimis Patribus, patriarchis videlicet, archiepiscopis, necnon episcopis atque abbatibus nobis directas, seu etiam de sacro palatio, quæ per tempora ab anterioribus regibus, et postea a jam dicto domino nostro maxime sunt congregatæ, per ejus elemosynam de omnibus partem habere, atque in hoc sancto loco condigne recondere meruimus. Sed de his de quibus certi fuimus, et a prædictis sanctissimis viris breves recepimus, omnium illarum nomina in hoc opusculo inserere non negleximus: quatenus a nobis et a cunctis successoribus nostris, qui per tempora in hunc sanctum locum successuri sunt, et hoc nosse voluerint, magis nomen Domini nostri Jesu Christi per quem nobis hæc, licet indignis, et cætera bona largita sunt, per omnia et in omnibus semper glorificaretur, qui est benedictus in sæcula. De cæteris vero reliquiis, de quibus incerta sunt nobis nomina, ab eisdem sanctis Patribus receptis, minime scripsimus: cæterarum autem, sicut decrevimus, nomina isto ordine notari curavimus. Primum reliquias Domini et Salvatoris nostri, et ejus gloriose genitricis, et sanctorum apostolorum, et cæterorum martyrum; postea confessorum, necnon autem sanctarum virginum atque continentium subsecuti sumus.

De ligno Domini, de veste ejus, de sandalis ejus, de præsepe ejus, de spongia ejus, de Jordane ubi baptizatus est: de petra ubi sedit, quando quinque

qui vi Idus Septembris ejusdem (ut videtur) anni ecclesiæ beatæ Mariæ dedicationi præsens fuerat, sit idem cum Gregorio episcopo Ambianensi, Jessi decessore.

millia hominum pavit; de pane unde distribuit discipulis suis; de templo Domini; de candela quæ in mativitate ejus accensa est; de monte Oliveti ubi oravit; de mensa ejus; de monte ubi transfiguratus est; de columna ubi flagellatus est, de ligamentibus unde ligatus est; de petra unde crucea ascendit; de clavis unde crucifixus est; de loco Calvariae; de buccella ubi fel et acetum mistum fuit; de petra super quam sanguis de latere ejus stillavit; de sepulcro Domini; de lapide revoluta ab ostio monumenti; necnon et de sepulcro Innocentium, qui pro eo passi sunt; de monte Horeb, de ligais trium tabernaculorum.

De lacte sanctæ Mariæ, de capillis ejus, de veste ejus, de pallio ejus. De barba sancti Petri, de sandaliis ejus, de casula ejus, et de mensa ejus. De mensa sancti Pauli, de orario ejus, de cippo in quo missus fuit. De cruce sancti Andreae. De manna sancti Joannis evangelistæ. De reliquiis apostolorum Jacobi, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, Thaddæi, Matthiæ, Barnabæ et Timothei. De ossibus Zachariæ patris sancti Joannis Baptistæ. Reliquiæ beati Simeonis, qui Dominum in ulnas suscepit. De capillis beati Joannis Baptistæ, de sanguine ejus, de veste ejus.

De costis sancti Stephani, de lapide unde lapidatus est; de craticula sancti Laurentii. Digitus sancti Apollinaris; de spongia sancti Symphoriani, et de veste matris ejus. Reliquiæ sancti Pancratii, Vigthi, Sisinnii, Martyrii, Pamphili, sanctorum Geminorum, Fabiani, Valerii, Pergentini, Cosmæ, Damiani, Anastasii, Georgii, Alexandri, Cassiani, Magni, Vitalis, Nazarii, Naboris, Celsti, Gervasii, Protasii, Innocentis, Laurentii, Tiburtii, Valeriani, Hippolyti, Christophori, Felicis, Mauricii, Candidi, Exuperii, Victoris, Innocentii, Benigni, Dionysii, Rustici, Eleutherii, Cornelii, Leodegarii, Sixti, Firmiani, Saturnini, Quintini, Valentini, Marcelli, Luciani, Crispini, Crispiniani, et de ossibus quadraginta martyrum, et de sanguine aliorum multorum.

Sancti Hilarii, Martini, Germani, Medardi, Audoani, Eligii, Amandi, Lupi, Aventini, Sulpicii, Remedii, Maurilioni, Albini, Servatii, Hieronymi, Equitii, Ephrem, Gregorii, Augustini, Leonis, Silvestri, Felicis, Isidori, Donati, Benedicti, Columbani, Isaac, Vincentii, Antonii, Paulini, Fortunati, Simpliciani, Gualarici, Vedasti. Reliquiæ ex corporibus sanctorum, quæ condidit Paulinus papa [*id est*, episcopus seu patriarcha Aquileiensis]. Reliquiæ sancti Mogimbaldi, Prasci, Eugenii, Fronti, Fidelis,

^a Vocabatur hæc capsula sancta Primæ teste Joanne de capella, qui agens de Hugone de Chevincourt abate trigesimo tertio: *Iste Hugo de Chevincourt, inquit, visitavit feretrum, quod dicimus sanctæ Primæ, id est primitivæ fundationis Ecclesiæ militantis, quia in eodem requiescunt quam plurima corpora sanctorum, Petri, Pauli, Joannis Baptistæ, et aliorum confessorum et sanctarum virginum.* Sic etiam dicta est Prima Corbeiensis monasterii in Vita sancti Adalhardi.

^b Joannes de Capella numerat tredecim capsas

A Asterii, Simpliciani, Faxidi, Astogii, Gislarii, Sperati, Roberti, Galemeri, Osqualdi [*Fortæ, Oswaldi*].

Felicitatis, Perpetuæ, Agathæ, Eugeniæ, Theclæ, Cæciliæ, Petronillæ, Euphemie, Faustæ, Eufrosinæ, Aldegundis, Columbæ, Feliciæ, atque Scholasticæ. Huc usque de certis sanctorum reliquiis, de quibus a sanctis Patribus, qui eas nobis largiti sunt, nomina certa recepimus, separatim martyres vel confessores descripsimus. Deinceps autem distincte aliorum sanctorum nomina, sive martyrum vel confessorum, quia non invenimus, minime scripsimus.

His ita, sicut paulo superius scriptum est, honorifice decenterque reconditis, in nomine sanctæ Trinitatis cum multa diligentia paravimus capsam majorem auro et gemmis ornatam, in qua posuimus partem supra scriptarum reliquiarum, quam eam ipsis ob venerationem illorum sanctorum, quorum reliquiæ in ea recondi videntur, subtus cryptam sancti Salvatoris ponere studuimus, nam cæterorum sanctorum reliquias, quæ supra leguntur ascriptæ, per alias tredecim capsas minores auro argenteoque vel gemmis pretiosis honestissime paratas, quas a sæpe dictis venerabilibus Patribus cum eisdem reliquiis, donante Domino, adipisci meruimus dividere, atque super trabem quam in arcu coram altare beati Richarii statuimus, ponere curavimus: qualiter in omnibus sicut dignum est, laus Dei et veneratio omnium sanctorum ejus, in hoc sancto loco semper adoretur, colatur, atque veneretur.

Cumque præscriptorum sanctorum venerationi altaria ordinata atque de eorum reliquiis venerabiliter, ut supra legitur, a nostra parvitate essent ornata; diligenti cura tractare cepimus, qualiter ea ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, ob venerationem sanctorum omnium, in quorum honore sunt consecrata, de donis Dei et largitate magni domini mei ejusque nobilissimæ proles, vel reliquorum bonorum hominum liberorum, mihi ab illis collatis, opere fabrili in auro, argento et gemmis ornare etiam, et ubi loca convenientia existerent, desuper ciboria ponere potuissemus, sicut, prout eodem Domino cooperante valuimus, facere studuimus, id sunt, in ecclesia sancti Salvatoris, sanctique Richarii, altaria fabricata undecim, ciboria duo, lectoria auro, argento et marmoribus parata duo. In ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ et sanctorum apostolorum altaria fabricata tredecim; ciborium unum, et lectorium optime paratum unum. In ecclesia sancti Benedicti altaria

aureas et argenteas, quas Angilbertus super unum altare argenteum dedicatum in honore beatæ Mariæ posuerit.

^c Quid sit ciborium, fuse exposui in præfatione sæculi secundi, num. 47, turrita scilicet ædicula quatuor octove columnis innixa, altaribus et sanctorum tumulis imponi solita. Carolus Magnus in capitulari anni 789 præcipit *ut super altaria læcularia fiant aut laquearia.* Nunc ciborium dicitur xiboroc seu pyxis in qua Christi Domini corpus asservatur

parata tria. In ecclesiis vero sanctorum angelorum Gabrielis, Michaelis, et Raphaelis altaria tria, quæ simul fiunt altaria triginta; et ciboria tria, et lectoria tria. Nam de aliis vasis et supellectilibus habentur in eisdem ecclesiis auro argenteoque paratæ septemdecim; coronæ aureæ duæ; lampades argenteæ sex; cuprinæ auro argenteoque decoratæ duodecim; poma aurea tria; calices aurei cum patenis duo; calix unus aureus magnus cum imaginibus simul et patena; alii calices argentei cum suis patenis duodecim; offertoria argentea decem. Ad caput sancti Richarii tabula auro et argento parata una; ostia majora auro et argento parata duo, alia minora duo; alia ostiola similiter parata duo; balteum aureum unum; atramentarium optimum argenteum auro paratum unum; cultellus auro et margaritis paratus unus; codex eburneus auro argento et margaritis optime paratus unus. Punga ^a auro parata una; incensaria argentea auro parata quatuor. Hannappi argentei superaurati tredecim; concha argentea major cum imaginibus argenteis una; bocularis [*Vulgo bocar, lagenæ genus*] argenteus unus; urcei argentei cum aquamanilibus suis duo; canna argentea una, eburnea una; situlæ argenteæ duæ; clavus aurea una; scilla argentea una; coronæ cum luminibus tredecim; columnæ ante altare sancti Richarii auro et argento paratæ sex; trabes minores cum arcubus suis argento paratæ tres; cloccaria [*id est, campanilia*] auro parata tria; cloccæ [*campanulæ seu tintinnabula*] optimæ quindecim cum earum circulis ^b quindecim; skillæ tres imagines æneæ sex, eburnea una; candelabra auro parata duo; ostia auro parata septem. Insuper donavimus ibi pallia optima septuaginta octo; cappas ducentas; dalmaticas viginti quatuor sericas; albas Romanas cum amictis suis auro paratas sex; albas lineas ducentas sexaginta; casulas de pallio triginta, de purpura decem, de storace sex, de pisce unam, de platta quindecim, de cendato quinque. Stolas auro paratas quinque, fanones [manipulos] de pallio auro paratos decem; cussinos de pallio quinque, saga de pallio quinque.

De libris, Evangelium auro scriptum cum tabulis argenteis auro et lapidibus pretiosis mirifice paratum unum; aliud Evangelium plenarium unum. De aliis libris volumina ducenta.

Insuper etiam plurima ornamenta in fabricaturis, et diversis utilitatibus, in plumbo, vitro, marmore, seu cætera instrumenta quæ longum fuit enumerare, prolixiusque scribere: quæ tamen tunc temporis appetiata sunt a fidelibus Dei et sancti Richarii, qui vobiscum in Dei servitio laborantes exstiterant, hæc omnia valere potuisse libras quindecim millia vel eo amplius.

His et aliis, prout donante Domino valuimus, ele-

^a Id est pera, sacculus. Audoenus in libro I de Vita sancti Eligii cap. 10: « Quotiens brachile aureum, pungam quoque auro gemmisque comptam sibi subripuit, tantum ut miseris succurreret. »

^b Armillas campanarum funibus pendentes vocat

Ante dispositis, atque ex diversis præscriptis reliquiis supradictorum sanctorum ornatis ecclesiis, diligenti mentis affectu tractare cœpimus, qualiter Domino donante ad hoc pervenire valuissimus, ut sicut in ædificiis marmoreis et in cæteris ornamentis oculis honeste clarescunt humanis, ita etiam in Dei laudibus, in doctrinis diversis et canticis spiritualibus Christo omnipotenti placere valeamus. Quapropter trecentos monachos in hoc sancto loco regulariter victuros auxiliante Deo constituimus: opertantes et ordinantes, ut si non plus, istius numeri congregatio in perpetuum habeatur. Centum etiam pueros scholis erudiendos sub eodem habitu et victu ^c statuimus, qui fratribus per tres choros divisus in auxilium psallendi et canendi intersint: ita ut chorus sancti Salvatoris centenos monachos cum quatuor et triginta pueris habeat; chorus sancti Richarii centenos monachos, tresque et triginta pueros jugiter habeat; chorus psallens ante sanctam passionem centenos monachos, triginta tribus adjunctis pueris similiter habeat. Ea autem ratione ipsi chori tres in divinis laudibus personabunt, ut omnes horas canonicas in commune simul omnes decantent. Quibus lecenter expletis, uniuscujusque chori pars tertia ecclesiam exeat, et corporeis necessitatibus vel aliis utilitatibus ad tempus inseruiat, certo temporis spatio interveniente ad divinæ laudis munia celebranda denuo redeunt. In unoquoque etiam choro id jugiter observetur, ut sacerdotum ac levitarum reliquorumque sacrorum ordinum æqualis numerus teneatur. Cantorum nihilominus et lectorum æquali mensura divisio ordinetur, qualiter chorus a choro invicem non gravetur. Quin imo omnes unanimes sacrificium laudis Domino omnipotenti pro salute gloriosi Domini mei Augusti Caroli, proque regni ejus stabilitate, continua devotione jugiter exhibeant. Matutinali etenim seu vespertinali officio consummato, mox omnes chori ordinabiliter se ante sanctam passionem congregent, decem tantum psalmistis unicuique choro remanentibus: et sic per portam sancti Gabrielis, ac per salam [*Vulgo salle, aulam*] domni abbatis ambulando, per occidentalem claustrum regionem cantando veniant ad sanctam Mariam: ubi oratione pro temporis ratione deposita, remeando veniant ad sanctum Benedictum in orientali parte claustrum situm; inde per gradus arcuum intrent ad sanctum Mauricium; sicque intrantes sancti Richarii basilicam, restituantur suis choris.

Illud etiam observari præcipua devotione mandamus, ut nulla dies prætereat absque sacrarum missarum decantatione, videlicet ut si non plus, vel triginta a fratribus diversorum chororum per diversa altaria missæ quotidie agantur, exceptis illis duabus de conventu, quæ mane et meridie solemniter

Adrevaldus in libro De miraculis sancti Benedicti, cap. 26.

^c Pueros oblatos eodem habitu iisdemque cibis usos fuisse constat tum ex hoc loco, tum ex aliis.

sime celebrantur, in quibus quotidie memoria sanctissimi papæ Adriani, et gloriosi domini mei Augusti Caroli, conjugis et prolis ejus teneatur: qualiter juxta verbum Apostoli pro regibus et omnibus

A qui in sublimitate sunt constituti, Salvatori Deo nostro obsecrationum vel orationum gratias jugiter persolvamus.

STATUTA QUÆDAM RUBRICA.

(Apud Mabill., *ibid.*)

... Qua vero majestate ac reverentia divina ibidem officia celebrarentur, nos docet unum et alterum specimen, quod hoc loco exhibere juvat ex veteri codice, olim Petavianæ, tum serenissimæ reginæ Sueciæ, nunc bibliothecæ Otobonianæ. In eo codice Angilbertus abbas ordinasse dicitur, ut in die sanctissimo Paschæ et in Nativitate Domini fratres et cæteri omnes qui in ecclesia Salvatoris ad missam conveniebant, in eadem ecclesia communionem perciperent. Dum vero fratres et reliqui clerici ab illo sacerdote, qui ipsa die missam cantasset, communicabantur, ut alii duo sacerdotes cum duobus diaconis totidemque subdiaconis, unus viros, alter mulieres ibidem communicaret, ut clerus et populus simul communicati benedictionem, ac completionem missæ simul possent audire: quo facto, duo illi sacerdotes, unus ad unum ostium, alter ad alterum, pueros ex ambulatoriis seu porticibus superioribus descendentes communicabant; ac deinde uterque cum suis ministris ad extremum stantes, forte altaris, gradum, communicabant eos, qui ad prædicta loca communicaturi non occurrissent, quod ut rite fieret, idem abbas ordinaverat, ut in duobus illis festis quatuor sacerdotes, totidemque diaconi ac subdiaconi sacerdoti solemnem missam celebranti adessent. Hæc de primo ritu.

Alter est de majoribus litaniiis, ad quas solemnius faciendas cruces et processiones vicinarum septem ecclesiarum ad sanctum Richarium convenire debebant. Cum eo venissent, omnes simul consistebant ad paradisum sive atrium ecclesiæ coram sancta nativitate, atque oratione facta, ibidem ordinate persistebant, divisim hinc inde viris a septentrione, feminis a meridie, præstolantes, dum fratres cum schola, id est pueris, de ecclesia sancti Richarii

egrederentur. Et primo quidem per portam sancti Michaelis procedebat is qui vas aquæ benedictæ ferebat, deinde tres alii totidem thuribula gestantes: tum cruces septem, quas sequebatur capsula major basilicæ sancti Salvatoris, media inter tres hinc inde sacerdotes, qui minores capsas gestabant. Postea subsequebantur septeno quique numero diaconi, subdiaconi, acolythi, exorcistæ, lectores et ostiarii; ac deinde reliqui monachi septeni et septeni, ne, si bini vel terni incessissent, millarii spatium implevissent. Hos omnes dein subsequebantur pueri septem cum totidem flammulis seu tædis, et post eos viri nobiles septeni et septeni, a præposito vel decano electi: quibus nobiliores feminae eodem ordine succedebant. Post hos omnes procedebant septem cruces forensium ecclesiarum, quas sequebantur pueri et puellæ cantandi peritæ, quæ orationem Dominicam, symbolum, aliaque similia concinebant, deinde honorabiliores viri ac feminae ex illis ecclesiis; extremo loco promiscua turba infirmorum ac senum septeno ritu itidem pedibus incedentium: qui autem præ infirmitate non poterant, equitando subsequebantur. His ita ordinatis, procedebatur per medium monasterii, dein per publicam viam, et per portam meridiam, murum gyrando, revertebantur per portam septentrionalem. In his vero majoribus litaniiis, post antiphonas, psalmos, aliaque id genus, cantabatur tria symbola, apostolorum, Constantinopolitanum, et sancti Athanasii; deinde oratio Dominica; et post litaniam generalem, fratres cum schola puerorum litanias concinebant, primo Gallicam, secundo Italianam, tertio Romanam: quibus postremo succedebat canticum *Te Deum laudamus*, et postea missa solemniss ad sanctum Salvatorem.

SANCTI ANGILBERTI CARMINA.

I.

Angilbertus abbas ad SS. Richarium et Elegium ^a.

(Apud Froben. opp. B. Alcuini.)

Servulus ecce tuus, Richarius inclyte pastor,

Hæc tibi construxit parvula tecta, Pater.

^a In editione Quercetani CLXXVII; exstat quoque editum a Mabillonio Act. SS. sæc. iv, part. 1, in Vita S. Angilberti, p. 101. Angilbertus in arte poetica haud hospes fuit, ut fortassis propterea ab Alcuino

D Semper honoris [*F.*, honorus] ero magno pietatis

[amore,

Devotus vere cultor ubique tui [*Al.*, tuus].

Tu prior in gremium mundi de fluctibus alnum

Dante tuum Christo me miserum tuleras.

nomen Homeri meruerit: igitur nulla ratio suppetit ob quam hoc carmen eidem non ascribatur qui in illo loquitur.